

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»


De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (69)

5.2. De administratione

5.2.1. De modo progrediendi deque effectibus administrationis

Consilio, quo Congregatio Ottiliensis administrationi rerum temporalium subiceretur atque Abbas Coelestinus Maier administrator redderetur, gressus bonus ad condicionem pecuniariam consolidandam susceptus est. Spes condicionis meliorandae etiam in ipsa persona administratoris posita erat, cuius facultates in rebus pecuniariis administrandis notae erant.¹

Abbas Coelestinus itaque sine haesitatione agere coepit. Simulatque munus Administratoris suscepit, in monasteriis, quae administrationi suae pecuniariae subiecta erant, imprimis in Archiabbatiā Ottiliensi, in Abbatiiis Suarzacensi atque Swickersperchiensi, statim persimoniam strictissimam instituit. Hunc in modum pecuniam acquisivit ad casam sanationis, quae dicebatur, explendam, quae ad varium aes alienum reddendum atque usuras solvendas adhibebatur. Sic bonum initium factum est, ut calamitas instans paulatim arceretur. Ille progrediendi modus strictus iam post breve spatium temporis tam bonum effectum habuit, ut Abbas Chrysostomus die 24^o m. Dec. a. 1930^o - ergo septem septimanis post initium administrationis - Conventui nuntiare valeret quoad rem Tragoessianam pericula maxima esse amota.² Tali condicione quietis



Abbas Coelestinus Maier.

-
- 1 Abbas Coelestinus variis inceptis maxime curavit, ut Abbatiae suae Swickersperchiensis esset pecuniarium fundamentum solidum, quod in futurum quōque stabilire voluit. Sed in ipso monasterio atque etiam in Congregatione ei opprobrio dabatur eum nimium ad res saeculares spectare, monachos vero eorumque progressum spirituales negligere. Eā de causā in Capitulo Generali anni 1928ⁱ accusatus est et visitatio extraordinaria monasterii Swickersperchiensis facta est. *Cfr* cap. 4.13.3. - Hōc autem casū Abbas Coelestinus valde affectus erat, quā de causā ei satisfactio quaedam erat, quia praesertim ipse necessarius erat, ut Archiabbatia Ottiliensis Congregatioque sub aspectū pecuniario servaretur.
 - 2 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 10 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1). Indiciū huius rei etiam praebet Hartmut MADL (1999), p. 265. - In Annalibus sub die 24^o m. Dec. a. 1930^o de hōc nuntiō nihil inscriptum invenitur, sed ibidem sub die 18^o m. Dec. a. 1930^o adnotatur sanationem bene se habere dictum esse (Ann. Ottil.,

relativae tamen non significabatur Ottilianos nunc securos se sentire posse. Sed ille successus initialis satis celeriter factus etiam hac re cohaerebat, quod Abbati Coelestino pluribus consultationibus cum Helveticā argentariā cooperativā habitis contigerat, ut pecuniam creditam promissam iam anno 1930^o revera acciperet. Argentaria Helvetica igitur «Culturali Societati» pecuniam mutuam 2.200.000 francorum Helveticorum³ praebeuit, pro quā septem centesimae usurarum postulabantur et quae hypothecā praedio silvestri imponendā tuta est reddita.⁴ Sed magni momenti hōc in conexū est argentariam pecuniam creditam solum dedisse, quia Abbatiae Ottiliensis, Suarzacensis atque Swickersperchensis cautionem solidariam susceperunt.⁵ In fine mensis Ianuarii, tribus igitur mensibus post administrationem incohatam, Abbas Coelestinus unā cum P.re Optato Romam vectus est, ut apud Cardinalem Vilelmum van Rossum et Abbatem Primatem Fidelem von Stotzingen primam relationem de gressibus interea susceptis eorumque effectibus proponeret.⁶ Revera hoc spatium temporis erat satis breve, ut iam

18.12.1930 (ASO, A.3.4.4)). Etiam in epistula sua die 18 m. Febr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578) Chrysostomus Schmid indicat sanationem pecuniariam bene progredi.

3 2.000.000 Sfr = 1.782.000 marcae = 3.020.338 scellini

4 *Cfr* Schuld- und Pfandurkunde zwischen Kulturverein Tragöß und Schweizerischer Genossenschaftsbank (St. Gallen) (ASO, A.11.5 (Schweizer Genossenschaftsbank)). In statutis pecuniae creditae praeter alia constituitur usuras quartō quōque mense esse solvendas (§ 1), ab acceptoribus pecuniae creditae omnes impensas esse solvendas (§ 3), ad pecuniam creditam tutam reddendam praedium silvestre argentariae obligandum esse (§ 6), ad unumquodque genus venditionis licentiam argentariae esse acquirendam (§ 7).

Pecuniam creditam etiam commemorant Hartmut MADL (1999), p. 263; Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 10 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöß (18.6.1956), p. 20 (ASO, A.4.2); Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöss (1945/46), p. 4 (ASO, A.4.2), qui tamen in utroque tractatū per errorem de 2,3 milionibus francorum Helveticorum scribit. - Coelestinus Maier in primā relatione suā (1. Jahresbericht: Administration der Congregation von St. Ottilien (1.11.1930-31.10.1931) (ASO, A.4.2)) in initio inspectum brevem originis processūque problematis Tragoessiani praebet atque de primis inceptis sanationis scribit. Hic p. 3 sub titulo «Acquisitionis pecuniae» Helveticam pecuniam creditam commemorat.

5 *Cfr* Solidarbürgschafts-Verpflichtung, 10.2.1931 (ASO, A.11.5 (Schweizer Genossenschaftsbank)). - Cautionem solidariam etiam commemorat Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöss (1945/46), p. 4 (ASO, A.4.2).

6 De commoratione Romanā breviter Hartmut MADL (1999), p. 265. - Ipsos dies, nempe diem 20^{um} m. Ian. usque ad diem 28^{um} m. Ian. a. 1930^o, exacte indicat Coelestinus Maier in epistula die 28 m. Febr. a. 1931 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.11.1).

effectūs quidam expectarentur.⁷ Tamen Administrator iam nonnullos effectūs ostendere valuit.⁸

Conditio, quam Abbas Coelestinus invenerat et inde ei laboribus suis progrediendum erat, erat debitorum onus 8.000.000 scellinorum,⁹ sed praeterea respiciendum erat expensas annuas in praedio Tragoessiano multo maiores fuisse quam accepta.¹⁰ Calamitas appropinquans sic iam conspiciebatur. Abbate autem Coelestino indefatigabiliter agente conditio tamen iam paulo mutata erat.¹¹ Nam ad circiter 1.172 milia marcarum ex argentariā Helvetiā allata¹² accesserant contributiones monasteriorum Ottilianorum ad cassam sanationis summā circiter 552.000 marcarum,¹³ ita ut nonnullis acceptis minoribus numeratis illo temporis momento summa pecuniaria 2.295.000 marcarum in cassā sanationis erat in promptu. Ex hac pecuniā primo reliqua

7 In epistula sua die 28 m. Febr. a. 1931 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.3.0.1.11.1) Coelestinus Maier recte scripsit: «*Sane intra tres menses numquam id sanari potest, quod intra tres annos tantopere corrumpi siverunt.*» - Textus originaliter Theodiscus.

8 Cfr Solidarbürgschafts-Verpflichtung, 10.2.1931 (ASO, A.11.5 (Schweizer Genossenschaftsbank)). - Cautionem solidariam etiam commemorat Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöss (1945/46), p. 4 (ASO, A.4.2).

9 8.000.000 sc = 4.720.000 mc.

10 Summam debitorum inventam exhibet Coelestinus Maier in primā relatione suā (1. Jahresbericht Administration der Congregation von St. Ottilien (1.11.1930-31.10.1931), S. 2 (ASO, A.4.2)). Ibi expensae annuae indicantur fuisse 740.000 scellinorum et accepta 420.000 scellinorum.

In archivo Ottiliensi invenitur documentum quoddam, quo continetur index singillatim exaratus debitorum, acceptorum expensarumque praedii Tragoessiani. Hoc in documento neque nomen auctoris neque terminus exactus praebet, quod vero secundum indicia in ipso documento exhibita verisimiliter mense Novembri vel mense Decembri anni 1930 compositum est (fortasse P. Optatus erat auctor). Ex hoc documento differentiis minoribus iidem numeri proveniunt. Versimiliter Abbas Coelestinus in relatione suā hōc documentō nisus est. Generaliter autem numeros suos marcis Germanicis indicat, cum hōc documentō solum summae scellinorum praebentur.

11 Cfr Administrations-Bericht per 31. Dezember 1930 (ASO, A.4.2).

12 In relatione diei 31 m. Dec. a. 1930 Helvetica pecunia credita 2,2 milionum francorum transnumeratur in 1.772.206,08 mc, in primā relatione administrationis (1.11.1930-31.10.1931), p. 7 (ASO, A.4.2) apparent 1.787.945,94 mc. Unde haec differentia exoriatur, non satis perspicuum est.

13 Agebatur de contributionibus monasteriorum Ottiliensis, Suarzacensis, Swickersperchensis, Meschetensis, Uznachensis atque Procurae missionis. Tamen Archiabbatia Ottiliensis et monasterium Uznachense maximas summas dederant.

emptionis summa Rudolfo von Leuzendorf tradita est.¹⁴ Maximi autem momenti praeterea erat pecuniam creditam Monacensis argentariae, quae est Commerzbank, reddere, quae usuris magnis ab initio fuerat onus grave. Insuper quaedam aliae pecuniae creditae minores in aliis argentariis assumptae omnino vel partim solutae sunt.¹⁵ His primis rebus gestis itaque consolidatio atque stabilizatio in bona via erant, quā de causā responsales Romani erant contenti.¹⁶

14 Rudolfus von Leuzendorf in tribunalibus actiones instituit, quibus pecuniam 2,2 milionum scellinorum solvendam efficere voluit, quae ei inde ex contractu conciliationis die 31^o m. Ian. a. 1929^o inito debebatur (*cf.* cap. 4.13.4.2.), quae adhuc nondum erat soluta et quae hypotheca primaria praedio imposita erat (erant duae actiones, nempe Leobinae atque Aeniponti, institutae. Una contra «Culturalem Societatem», altera contra Archiabbatiam Ottiliensem sponsonem insimul exhibentem erat directa. - *Cfr.* epistula Optati Pfäfflin die 25 m. Nov. a. 1930 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2.)). De causā actionum atque de argumentis contradictis «Culturalis Societatis» *cf.* epistula Optati Pfäfflin Kal. Nov. a. 1930 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2.)). Itaque duabus ex causis alicuius momenti erat, ut Rudolfo von Leuzendorf satisfieret, unā ex parte ut actiones amoverentur, quae verisimiliter efficaces fuissent, alterā ex parte ut primus locus hypothecae praebere posset argentariae Helveticae. Eā de causā Ottiliani tunc coacti erant, ut celeriter novas consultationes cum Rudolfo von Leuzendorf instituerent (De dissensionibus cum Rudolfo von Leuzendorf *cf.* imprimis Optatus PFÄFFLIN: Rund um TragöB (18.6.1956), p. 20 (ASO, A.4.2). Rem etiam commemorant Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 10 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 264). Cum autem spes pecuniae numeratae exstaret, Rudolfus von Leuzendorf rem subiit. Consultationes, quae die 12^o m. Nov. a. 1930^o habebantur, participaverunt Dr Evaldus Schimm iurisconsultus Rudolphi von Leuzendorf, Victor Kienböck iurisconsultus «Culturalis Societatis», P. Optatus Pfäfflin atque Administrator Abbas Coelestinus Maier. Scitū dignum est Ottilianis contigisse, ut 250.000 scellinorum eis remitterentur, si pecuniā numeratā solverent. Conditio tamen erat in eo, ut pecunia si tardissime die 15^o m. Ian. a. 1931^o esset in computo Rudolphi von Leuzendorf. Pecuniā acceptā etiam actiones imminentes retrahebantur. Hunc in modum hypotheca ad Rudolfum von Leuzendorf spectante amotā etiam primus locus hypothecarius liber erat argentariae Helveticae.

15 Sic ex.gr. ad argentariam Germanicam (Deutsche Bank), ad Amstelodamensem argentariam Wertheim, ad Vindobonensem argentariam creditoriam Austriacam (Österreichische Creditanstalt). - Iam ex hac brevi enumeratione, quā non omnes argentariae continentur, apud quas aes alienum exstitit, apparet, qualis confusio facta sit.

16 Romae omnes de relatione intermediā contentos fuisse etiam Coelestinus Maier in epistulā die 28 m. Febr. a. 1931 ad Thomam Spreiter missā (ASO, Z.3.01.11.1) commemorat. Labores Abbatis Coelestini laudaverunt etiam Abbas Primas Fidelis von Stotzingen (*cf.* epistula die 27 m. Nov. a. 1930 ad Thomam Spreiter data (ASO, Z.3.01.4)), qui adnotavit Abbatem Coelestinum «*rem magnā cum energiā suscepisse*», et Chrysostomus Schmid (*cf.* epistula die 23 m. Dec. a. 1930 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.3.01.4)), qui expressis verbis dixit Administratorem «*revera optima effecisse*». (Verba originaliter

His primis progressibus tamen - uti imaginari possumus - res nondum erat finita et totum problema nondum definitive erat soluta. Itaque per plures annos magnum onus laborum etiam tunc supra umeros Abbatis Coelestini positum erat, in quo saepe ei insudandum erat, etiamsi bonae facultates rerum pecuniariarum ipsi erant.

Congregatio Religiosorum Abbati Coelestino decreto, quo eum Administratorem reddidit, potestatem satis magnam tradidit.¹⁷ Nam hōc decretō accepit plenam potestatem dirigendi de pecuniā monasteriorum ibīdem commemoratorum. Expensis indicatis,¹⁸ quae duobus annis praeteritis in illis domibus erogata erant, Administrator summam pecuniariam constitueret, quam monasteriis singulis ad monachos, domos, scholas atque incepta iam existentia sustentanda erogare liceret. De hac summā constitutā solum Administratore assentiente discedere licitum erat. Tamen permissum non erat, ut bona immobilia Abbatiarum oppignerarentur nisi Abbatibus assentientibus.¹⁹ Insuper praedium silvestre Tragoessianum Abbate Ottiliensi non assentiente vendi non licuit.

Decreto praeterea praescriptum erat, ut Administratori officium esset, quo regulariter relationes exhiberet, nempe secundō quōque mense ad Abbates Ottiliensem atque Suarzacensem directas, quartō quōque mense ad Abbatem Primatem dirigendas et quotannis Romam mittendas. Hoc officium referendi Abbas Coelestinus scilicet correcte exsequebatur.²⁰

Theodisca). - Itaque in allocutione suā Natalicia anni 1930ⁱ Abbas Coadiutor Conventui iam referre valuit, quod attinebat ad rem Tragoessianam, pericula maxima amota esse (cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von TragöB (18.2.1946), p. 11 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1)).

17 Decretum diei 4 m. Nov. a. 1930 (ASO, A.2.1.2; ASO, Z.3.0.1.11.1).

18 Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (2¹⁹⁹²), p. 40 asseverat «tabulas expensarum» in decreto nominatas significare «*claram rationem pecuniariam*», quam Abbas Coelestinus statim exaraverit. Tamen haec interpretatio cum textu decreti non congruit, in quo illae «tabulae expensarum» manifeste referunt ad indices expensarum, quae duobus annis praeteritis erogatae erant. - Etiam Hartmut MADL (1999), p. 259 iure meritoque dubitat, num haec explicatio Frumentii Renner recta sit, praesertim cum Frumentius Renner opinionem suam fontibus non probat.

19 Expressis verbis etiam adnotatum erat, si talia consilia essent, singulos Conventūs interrogandos esse. Abbate autem atque Conventū dissentientibus Abbas Primas adeundus erat.

20 Exstant adhuc relationes Romam missas: 1. Jahresbericht Nov. 1930/Okt. 1931; 2. Jahresbericht Nov. 1931/Okt. 1932 (ASO, A.4.2); 3. Jahresbericht Nov. 1932/Okt. 1933 (ASchw, Abschlussdokumente). Praeterea multae relationes bimentres ad Abbates directas,

In relationibus ad instituta Romana spectantibus Abbas Coelestinus primum condicionem generalem explicuit,²¹ antequam numerorum indices ordinati sequebantur.²² Scitū dignae hōc in conexū sunt explicationes, quibus agitur de statū debitorum, de aere alieno solvendo deque solutione usurarum et de pecuniā, quā cassa sanationis expletur. Inde apparet maiorem partem pecuniae scilicet a monasteriis Ottilianis allatam esse, sed Abbatem Coelestinum non solum illā summā niti potuisse atque voluisse. Itaque nonnullos alios quōque fontes pecuniarios invenire conatus est. Hōc praeter alia ei contigit, cum ad certas personas - imprimis ad sacerdotes se cconvertens atque auxilium pecuniarium petens - privatam pecuniam creditam acquirere valeret.²³ Bono effectū huius actionis etiam monstratur momentum Archiabbatiae Ottiliensis adhuc satis magnum fuisse, ut talia fieri possent, quamquam problemata vigentia apud populum communem satis bene nota erant. Nihilominus difficultates pecuniae acquirendae Abbati Coelestino iterum iterumque molestias exhibuerunt.²⁴

Tamen neque ipsa administratio neque imprimis Administrator intra Congregationem nimis diligeantur. Nam Abbas Coelestinus erat «*dominus durus atque in singulis domibus manum modo duro iniecit*», ut Archiabbas Chrysostomus condicionem verbis expressit.²⁵ Praesertim cellerarii cum ipso haud facile egerunt. Tamen respiciendum est tali onere aeris alieni aliter certe nulli effectūs fieri potuisse. Sed res facilior non est reddita, quia Admi-

ex quibus tamen desunt relationes 1-5, 13, 16, 18, 19. Etiam si sunt hae lacunae, tamen conspectus satis clarus praebetur.

21 In primā relatione annuā (1.11.1930-31.10.1931, pp. 1 sq. (ASO, A.4.2)) Abbas Coelestinus praeterea breviter describit, quomodo ad problema generale perventum sit.

22 Relationibus ad Abbates directis tantummodo indices numerorum continentur.

23 Cfr 1. Jahresbericht Nov. 1930/Okt. 1931, pp. 1 sq. (ASO, A.4.2), quo loco Abbas Coelestinus has pecunias creditas indicat et praeterea scribit his pecuniis privatis «*demum fieri potuisse, ut sanatio modo usque tunc facto continuaretur*». - Hartmut MADL (1999), p. 267 etiam illas privatas pecunias creditas commemorat. Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 14 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) scribit in summā fuisse 120.000 marcarum. Hanc summam Archiabbatia Ottiliensis administratione finitā singulis solvendo reddidit.

24 Sic Coelestinus Maier rem etiam exposuit in epistolā die 7 m. Maii a. 1931 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.01.11.1) ostentans usuras magnas, postulata semper nova et condicionem oeconomica generaliter calamitosam.

25 Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 13 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1).

nistratoris modus progrediendi interdum aliquatenus mutabilis atque saepe inconstans erat, qui nonnumquam potestatem suam transgressus esse videtur.²⁶ Itaque Archiabbas Chrysostomus et Abbas Coelestinus interdum unam alteramve dissensionem habuerunt. Artē cooperari debuerunt imprimis Abbas Coelestinus atque P. Optatus Pfäfflin, qui Superior paredii Tragoesiani atque vicepraesidens «Culturalis Societatis» in problemata ipsius loci incumbere debuit. In intio relatio inter ipsos paululum difficilis erat, sed satis celeriter cooperatio bona efficaxque facta est et P. Optatus Abbatem Coelestinum aestimare didicit, etiamsi eius modum progrediendi, quod attinebat ad negotia nummaria, non semper probare valuit.²⁷ Generaliter autem ita inter ipsos convenerat, ut Abbas Coelestinus pecuniarios aspectūs maioris momenti tractaret atque administrationem ad Germaniam pertinentem susciperet, P. Optatus vero negotia «Culturalis Societatis» curaret, qua in re ipse tantummodo in negotiis maximi ponderis decernendis antea cum Abbate Coelestino consuleret.²⁸

Processus ergo ipse sanationis satis bene progrediebatur, etiamsi iterum iterumque probelmata nova inexpectataque atque res necopinatae emergerunt. Sic Archiabbas Norbertus Weber varias cautiones praebuit pro Sororibus Angelorum Costodum domūs Sancti Albani et pro Sororibus Sanctae Annae iuxta Cochälum Lacum²⁹ viventibus, de qua re Conventus nihil sciverat.³⁰ Tamen multo magis importunum erat Abbatem Coelestinum ex

26 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 13 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1).

27 Nonnulla exempla praebet Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöß (18.2.1946), pp. 20 sq. (ASO, A.4.2). Agebatur unā ex parte de syngraphis redimendis, sed aliqua occasione etiam de pecunia soluta in Helvetiam transportanda. Hoc erat inceptum vere periculosum, cum talia propter praeclusionem pecuniae exterae vetita erant. Si P. Optatus hac in actione captus esset, poena magna ei imminuisset, quia crimina ad pecuniam exteram spectantia percipiebantur ut proditio patriae.

28 Generaliter de cooperatione cum Abbate Coelestino *cfr* fusius Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöß (18.2.1946), pp. 19 sqq. (ASO, A.4.2)

29 Cochälus Lacus: *Kochelsee*. - *Cfr* Carolus EGGGER: Lexicon nominum locorum. Romae 1977, p. 168.

30 Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 13 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) commemorat summam pecuniae creditoriae obligationum 20.000 florinorum Nederlandicorum et praeterea summam 75.000 florinorum Nederlandicorum pecuniae creditoriae pro Sororibus Angelorum Custodum, pro Sororibus Sanctae Annae summam pecuniae creditoriae 20.000 marcarum.

improviso coactum fuisse, ut in «Ottilianae opificinae mercium coriariarum»³¹ magnas aerarii lacunas incumberet,³² quae ex rebus syngrapharum exortae erant et quas decursū sanationis insuper ordinare debuit.³³

Nihilominus tota sanatio in bonā viā erat, ita ut Romae annuis relationibus rationis reddendae Papa et praepositi Congregationis Propagandae Fidei atque Congregationis Religiosorum erant contenti.³⁴

Propter condicionem oeconomicam generaliter difficilem tamen conandum erat pecuniarias summas solvendas minui, cum aliter fieri non iam posset, ut obligationes pecuniariae expleri possent.³⁵ Itaque homines responsales id studebant, ut altae usurae pecuniarum creditarum et in Helvetiā et in

31 «*Ottilianische Lederwaren-Werkstätten*» (OLW).

32 «Ottiliana opificina mercium coriariarum» erat inceptum quaestuosum, cuius scopus - sicut in praedio Tragoessiano - erat in eo, ut satis multa pecunia accepta curaretur, quā et monasterio et regionibus missionariis subsidium ferretur. Pecunia accipienda ex venditione variarum mercium coriariarum usus cottidiani compararetur, quae ibidem conficiebantur atque superregionaliter venumdabantur. Primo hōc inceptum satis bene progredi videbatur. Tamen satis celeriter apparuit «opificinam mercium coriariarum» in satis profunda problemata intrusam esse, quae magnā ex parte modo opificinae regendae exorta sunt. In summā «Ottiliana opificina mercium coriariarum» damnis satis magnis operabatur. - De «Ottiliana opificina mercium coriariarum» *cf*r cap. 4.15.10.

33 In epistulā die 14 m. Aug. a. 1931 ad Thomam Spreiter datā (ASO, Z.3.01.11.1) Coelestinus Maier hanc rem breviter commemorat adnotans eam esse «*omnino horribilem*» et se plenam summam exhibere nolle, ne Thomam Spreiter «*infelicem redderet*». - *Cfr* etiam responsum Thomae Spreiter die 22 m. Sept. a. 1931 ad Coelestinum Maier missum (ASO, Z.3.01.11.1) atque adnotationem Thomae Spreiter in epistulā die 2 m. Oct. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 595). - In conexū septimae relationis administratoriae ad Abbates missae exstat index specialis, qua agitur de sanatione «Ottilianae opificinae mercium coriariarum». Casum huius «opificinae» in conexū administrationis etiam commemorant Chrysostomus SCHMID: *Geschichte von Tragöss* (18.2.1946), p. 13 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) et Hartmut MADL (1999), p. 270, secundum cuius sententiam tamen reperiri non potest, de quam re actum sit. Haec existimatio fortasse cohaeret cum illa condicione, qua Hartmodo Madl tempore investigationum suarum aditus ad nonnulla documenta archivi non est praebitus.

34 *Cfr* epistula Coelestini Maier die 11 m. Nov. a. 1931 ad Thomam Spreiter data (ASO, Z.3.01.11.1); epistula Coelestini Maier die 31 m. Dec. a. 1932 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.01.11.1), quibus agitur de existimatione relationum administrationis Romae prolata.

35 In tertiā relatione annuā (Nov. 1932-Oct. 1933, p. 2 (ASchw, Abschlussdokumente) Abbas Coelestinus significavit conamina necessario facienda esse, quibus usurae minuerentur, quia monasteria ad fines suos pecuniae solvendae pervenerunt.

Nederlandiā minuerentur.³⁶ Talia consequi revera fuisset officium Administratoris. Tamen hōc in conexū difficultas exorta est, quā Abbas Coelestinus neque in Helvetiā neque in Nederlandiā tali conamine progredi valuit.³⁷ Ratio huius condicionis verisimiliter praesertim erat in eo, quod fiducia in Abbatem Coelestinum apud argentarias aliquatenus evanuerat, imprimis apud directorem argentariae Nederlandicae D.rem Schippers.³⁸ Quae autem erat causa huius fiduciae amissae? Revera erat eventus mirus: nam Administratoris relatio annua rationis reddendae, quod attinebat ad hanc argentariam, semper satis mala fuit, e contra relatio, quod attinebat ad instituta Romana (ex causis manifestis) effectum vere efficacem exhibuit. Abbas Coelestinus variis numeris et imprimis variis explicationibus operatus esse videtur. Tunc autem Romae videlicet Praelatus quidam erat (cuius nomen nobis proh dolor non est notum), qui relationes Romam missas ad directorem argentariae Nederlandicae D.rem Schippers transtulit.³⁹ Homines responsales argentariae Nederlandicae tales differentias aegre tulisse bene intellegitur.⁴⁰ Huiusmodi actiones Coelestini Maier scilicet non erant probabiles et denique etiam detrimentosae. Tamen interrogandum quōque est, cur ille Praelatus Romanus sic egerit.

Ut ad effectum quendam in re usurarum perveniretur, tunc alii problema

36 Cfr 3. Jahresbericht, Nov. 1932-Okt. 1933, p. 2 (ASchw, Abschlussdokumente); Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 13 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 271.

37 Epistolā suā die 8 m. Nov. a. 1933 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 578) Chrysostomus Schmid explicuit imprimis in consultationibus usurarum minuendarum Abbatem Coelestinum effectum non iam exserere generaliter subiungens «*eum (Abbatem Coelestinum) solutionem non iam invenire videri*». Hac sententiā etiam tota difficultas intricatae condicionis aeris alieni manifestatur. Accessit insuper - ut Chrysostomus Schmid hoc loco et alibi indicat -, ut Abbati Coelestino officialis licentia ad itinera externa facienda non iam praerberetur.

38 Ad hanc quaestionem etiam referunt Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 13 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) et Hartmut MADL (1999), p. 271.

39 Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 13 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 271.

40 Eā de causā Chrysostomus Schmid in epistolā suā die 8 m. Nov. a. 1933 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 578) Abbatem Primate[m] rogavit, ne relationem tertiam iam missam Sanctae Sedi proponeret, cum indicia positiva de aedificiis Congregationis Ottilianae exstructis falso intellegi et effectum non opportunum in usurarum consultationes cum argentariā Nederlandicā habendas exserere possent. Scitū digna itaque est adnotatio «*si in manūs D.ris Schippers incidat*».

curare debuerunt. Itaque Archiabbas Chrysostomus atque P. Optatus Pfäfflin mense Novembri a. 1933ⁱ, ut consultationes instituerent, ad argentariam Helveticam Gallopoli⁴¹ sitam se contulerunt. Nam necessarium erat, ut primo ibidem conventio iniretur, cum ab argentariā Nederlandicā clare significatum esset eam solum tunc usuras minutas accepturam esse, si argentaria Helvetica tamquam creditor primarius hōc etiam faceret.⁴² Benevolentiam directoris Iosephi Ricklin contigit, ut pro Helveticā pecuniā creditā usurae quinque centesimarum constituerentur.⁴³ Statim mense Novembri a. 1933ⁱ deinde Archiabbas Chrysostomus et P. Optatus Aquisgranum⁴⁴ vecti sunt,⁴⁵ ut unā cum mediatoribus D.re Cárolo [Karl] Lohmanns Coloniensi atque D.re W.H. Husmann Amestelodamensi, quibuscum iam antea bonae experientiae factae erant, de usuris pecuniae creditae Nederlandicae minuendis consulerent. Deinde Archiabbas Chrysostomus mense Aprili a. 1934ⁱ cum argentariae Nederlandicae direttore Schippers colloquia instituit, quibus die 12^o m. Iun. a. 1934^o Amstelodami conventus creditorum effectus est, quo usurae inde ab initio anni 1934ⁱ in quinque centesimas minutae sunt.⁴⁶ Hic scilicet erat successus bonus atque levamen manifestum.

Iam sub finem anni 1933ⁱ Abbas Coelestinus magis magisque se receperat. Cum condicio oeconomica Archiabbatiae tribus annis administrationis transactis meliorata esset, Abbas Coelestinus rogavit, ut ab munere Administratoris solveretur.⁴⁷ Abbas Primas hanc petitionem muneris abdicationis

41 Gallopolis: *St. Gallen*. - *Cfr* Carolus EGGER (1977), p. 274.

42 De hac re *cfr* ex.gr. indicium in epistolā Chrysostomi Schmid die 10 m. Nov. ad Adalricum Mühlebach datā (ASO, A.4.2).

43 *Cfr* epistula argentariae Helveticae die 15 m. Nov. a. 1933 ad administrationem monasterii Ottiliensis missa (ASO, A.4.2). Haec pactio erat valida a Kal. Ian. a. 1934^o usque ad diem 31 m. Dec. a. 1935^o. - Has usuras minutas iam commemorat quōque Chrysostomus Schmid unā cum explicationibus amplioribus in epistolā die 10 m. Nov. a. 1933 ad Adalricum Mühlebach directā (ASO, A.4.2).

44 Aquisgranum: *Aachen*. - *Cfr* Carolus EGGER (1977), p. 34.

45 Chrysostomus SCHMID: *Geschichte von Tragöss* (18.2.1946), p. 13 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1), qui hōc locō praeterea adnotat eos Abbate Coelestino invito illuc vectos esse. Fortasse Abbas Coelestinus colloquia ipse facere vel saltem ea participare voluit.

46 Epistula circularis argentariae Maatschappji Trust die 31 m. Maii a. 1934 ad possessores obligationum missa (ASO, A.11.5), qua agitur de usuris in quinque centesimas minutis.

47 *Petitio* diei 24 m. Dec. a. 1933 (ASchw, Abschlussdokumente), quā pecuniariam condicionem omnino melioratam ut argumentum attulit. - *Cfr* etiam Chrysostomus SCHMID: *Geschichte von Tragöss* (18.2.1946), p. 13 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL

favit⁴⁸ et die 10^o m. Febr. a. 1934^o scripto officiali de munere Administratoris dimissus est, ubi leguntur haec:⁴⁹

«*Pervenit ad hanc S. Congregationem de Religiosis Relatio Rev.mi Abb. D. Coelestini Maier, circa Administrationem Congreg. Ottilien, Ordinis S. Ben., quae ab hac S. Congregatione ipsi uti Administratori in temporalibus concedita fuit. Idem Rev.mus Administrator preces porrexit, ut a munere Administratoris absolveretur. Cum conditio oeconomica Congr. Ottilien, elapso triennio ab administratione, revera in melius constituta sit, opera diligentissima Rev.mi Abbatis Maier, Eidem haec S. Congregatio meritas laudes et maximas gratias persolvit, atque a munere Administratoris in temporalibus resignationem acceptat, ita ut in posterum administratio ordinaria Congregationis Ottilien instituat, ad normas Iuris et Constitutionum.*»

Hunc in modum Archiabbatia Ottiliensis inde a mense Ianuario a. 1934ⁱ denuo sola responsalis erat oneribus Tragoessianis aliisque obligationibus pecuniariis. Coelestinus Maier inter Capitulum generale anni 1934ⁱ in sessione diei 16ⁱ m. Apr. a. 1934^o ultimam Administratoris relationem rationis reddendae praebuit.⁵⁰ Ibīdem aes alienum in initio administrationis susceptum, pecuniam interea solutam et statum aeris alienae adhuc existentis exhibuit. Secundum hanc computationem illo temporis momento adhuc restabant 3.616.946,01 marcae solvendae.⁵¹ Itaque periculum immediate imminens decoctionis Archiabbatiae hunc in modum non iam exstitit, nisi problemata inopinata exorirentur. Abbas Coelestinus igitur intra temporis spatium breve

(1999), p. 273.

48 Votum diei 27 m. Dec. a. 1933 (ASchw, Abschlussdokumente).

49 Scriptum Congregationis Religiosorum die 10 m. Febr. a. 1934 datum (ASO, A.2.1.2). - Die 7^o m. Maii a. 1934^o etiam Abbas Primas Fidelis von Stotzingen ipso rogante ab officio Delegati Apostolici liberatus est (ASO, A.2.1.2). De institutione Delegati Apostolici die 23 m. Ian. a. 1930 factā et de condicionibus, quae illum duxerunt, *cfr* cap. 4.14.3.

50 *Cfr* Bericht Administration der Congregation von St. Ottilien, 1.11.1930-31.10.1933 (ASO, K.3.1).

51 *Cfr* Administrationsbericht, 1.11.1930-31.10.1933 (ASO, K.3.1). - Hanc summam etiam indicat Hartmut MADL (1999), p. 274. Ut scribit Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 14 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1), hac in relatione etiam inveniuntur indicia, quas summas pecuniarias singula monasteria (Archiabbatiā non enumeratā) ad sanationem attribuerint, quā in re tota summa 823.984,55 marcarum computatur. Tamen non satis clarum est, unde Chrysostomus Schmid illos numeros sumpserit, cum iidem in finali relatione satis brevi Coelestini Maier non legantur.

trium annorum⁵² optimos labores effecit.⁵³ Monachi autem Congregationis Ottilianae ei magnas gratias debuerunt, sed etiam omnibus Superioribus monasteriorum, quae aliquid ad sanationem attribuerant et similiter Abbati Primati Fideli von Stotzingen, qui intentissime in problematis solvendis cooperatus erat.⁵⁴ Etiam si effectus administrationis erat aliquatenus positivus atque animos quadamtenus placans, tamen remanserunt aes alienum satis magnum atque problemata, quae propter condicionem politicam in Germaniā vigentem quoad pecuniam solvendam exorta sunt.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 243, 2026, pp. 52-63]

52 Abbas Coelestinus iam in fine primi anni administrationis speravit se, si omnia bene evenirent, usque ad Capitulum generale anni 1934ⁱ operi sufficere posse. *Cfr* epistula Coelestini Maier die 11 m. Nov. a. 1931 ad Thomam Spreiter data (ASO, Z.3.01.11.1). Etiam si inter labores nonnumquam dubitavit, utrum finem temporalem attingere posset, res ei tamen contigit.

53 Abbas Coelestinus die 14^o m. Apr. a. 1935^o sexaginta quattuor annos habens vitā functus est. Omnia documeta administrationis servaverat. Archiabbas Chrysostomus administratione finitā eadem accipere recusaverat, quia propter perscrutationes domesticas statalium aedilium clandestinorum hoc periculum suscipere noluit. Post mortem autem Coelestini Maier suasit, ut documenta comburerentur. - *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 14 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1).

54 Participes Capituli generalis anni 1934 die 17 m. Apr. a. 1934 epistulam gratiarum actionis ad Abbatem Primatem Fidelem von Stotzingen direxerunt, quam omnes capitulares subscripserant (ASA, APr 578; ASO, K.10.4.2.5).